

37. Refugium formidat fortitudo. Quid sibi vult Evangelista? Devoti militis es, regis sui tacere fugam, narrare constantiam, aperire fortia, lacere infirma, et sequi alta. Quod fugit autem Christus, non fuit timoris, sed mysterii. Bellicosus enim si in bello fugit, artis est, non timoris, insequentem non timet, sed producit, ut palam vincat. *Pet. Rav. tractans illud Matth. 2. Fuge in Egyptum.*

38. Quid iugo Christi suavius? Quid onere levius, probabilem fieri, scelere abstinere, bonum velle, amare omnes, odisse malum, aeterna consequi praesentibus non capi, nolle inferre alteri, quod sibi perpeti sit molestum. *Hilar. tractans illud Matth. Jugum enim meum suave, etc.*

Vide etiam in tit. Adventus, núm. 6. in tit. Amor, núm. 14, 19, 20, 44, 48. in tit. Anima, núm. 10. in tit. Ascensio, núm. 1. in tit. Beatitudo, núm. 3. in tit. Decima, núm. 1. in tit. Fabula, núm. 2. in tit. Humilitas, núm. 3. in tit. Parentes, núm. 13.

CLERICUS.

1. Cum etiam laicos hoc deceat, ne aut extraneas blasphemandi occasiones, aut oportunitatem fornicationis ostendant, maximè tamen hæc necessitas clericos vehementer constringit, quibus religio blasphemata, aut fraternitas perdita duplices pœnas irrogabit. *Aug. de sing. cler.*

2. Clericus mercimonia exercens, intercessionem vendens, viduarum munera amplectens, negotiator magis, quam clericus est. *Aug. in serm. 20. vœpræg.*

3. Contemnitur clericus, qui sæpe invitatur ad prandium, et non recusat: nunquam pelentes, raro accipiamus rogati. Beatius est magis dare, quam accipere. *Hier. ad Nepotia.*

4. Negotiatorem clericum ex inope divitem, ex ignobili gloriosum quasi quandam pestem fuge. *Ibidem.*

5. Clericos illos convenit ecclesiæ stipendiis sustentari, quibus parentum et propinquorum nulli suf-

fragantur: qui autem bonis parentum et opibus sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium incurrunt. *Hier. in epist. ad Damas. pap. et est 1 et 42.*

6. Clericus qui de bonis suis sustentari potest, si accipit quod pauperum est, sacrilegium profecto committit: atque per abusionem talium iudicium sibi manducat et bibit. Si eges et accipis das potius, quam accipis: si autem non eges, et accipis, rapis. *Hier. in alia epist.*

7. Vehementer ecclesiam Dei destruit, meliores laicos esse, quam clericos. *Hier. super epist. ad Tim.*

8. Miror cujus ordinis sint nostri clerici: nam in congregatione temporalium se habent ut laici: in apparatu nobili, ut milites: in acquisitione reddituum ut clerici: sed non laborant ut laici, neque pugnant ut milites, neque evangelizant ut clerici, et quum utriusque ordinis esse cupiunt, utrumque deserunt, utrumque confundunt. Unusquisque in ordine suo resurget. Isti ergò cum Deus sit summè sapiens, veraciter creditur à summo usque deorsum, nihil inordinatum relinquerè: vereor, ne alibi ordinandos, quàm ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. *Bern. lib. 5. de consid. ad Eugenium.*

9. Cum cuncti status hominum aliquid habeant laboris, et aliquid voluptatis, clerici inter hæc novo quodam artificio discernentes, totum quod delectat, in quolibet elegerunt: et totum quod molestat, respuerunt: à militibus acceperunt superbiæ fastum, amplam familiam, equorum phaleras, et nobiles apparatus: à mulieribus dependentes collo pelles rubricatas, vinum, molliem, balneum et gloriam: à rusticis fructus agrorum, horrea plena. Sed bene cavent militaris lorice pondus, muliebrem declinant verecundiam. Omnes rustici et agricolæ victum sibi labore acquirunt: hi delitiis affluunt, et tamen adveniente fructuum tempore, promptuarum eorum plena tritico, et vinum hibunt utæ meracissimum, et inde incrassantur, impinguantur, et dilatantur. Quum ergo resurgere cœperint

homines, quilibet in ordine suo, isti cum quibus resurgent? Si divertere voluerint ad milites, ipsos exsufflabunt. Sic cuncti homines á suis finibus arcebunt: et isti, qui in nullo fuerint ordine, ubi putas collocabuntur? Restat ergo, ut illum locum sortiantur, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat: et sint in laboribus dæmonum, qui in laboribus hominum non fuerunt. *Bern. super illud Psal. In labore hominum non sunt: ideo non flagellabuntur.*

10. Ministri Christi sunt, et serviunt Antichristo: honorati Domini, cui honorem non deferunt. Inde quem quotidie vides, meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus. Inde aurum in frænis, in sellis, in calcaribus: plus calcaria, quam altaria fulgent. Inde mensæ splendidae cyphis et cibis. Inde comessationes et ebrietates: inde cythara et lyra: inde torcularia redundantia, et promptuaria plena, eructantia ex hoc in illud: pro hujusmodi volunt esse, et fiunt ecclesiarum præpositi, decani, archidiaconi, episcopi, archiepiscopi. *Bern. super cant. ser. 55.*

11. Olim prædictum est, et nunc tempus impletionis advenit. Ecce in pace amaritudo mea amarissima: amara prius in nece martyrum; amarior post in conflictu hæreticorum: amarissima nunc in moribus domesticorum: Non fugare, non fugere eos potes: ita invaluerunt, et multiplicati sunt super numerum: intestina et insanabilis est plaga ecclesiæ: et ideo in pace amaritudo ejus amarissima. Sed in qua pace? et pax est, et non pax. Pax á paganis, pax ab hæreticis, sed non profecto á filiis. Vox plangentis ecclesiæ in tempore isto: Filios enutrivit et exaltavit: ipsi autem spreverunt me, spreverunt et maculaverunt me, à turpi vita, á turpi quæstu, á turpi commercio, à negotio denique perambulante in tenebris. Superest ut jam de medio fiat dæmonium meridianum. *Bern. ibid.*

12. Unde clericis exuberare existimas rerum affluentiam, vestium splendorem, mensarum luxuriam, congeriem vasorum argenteorum et aureorum, nisi

de bonis ecclesiæ? Inde est, quod illa pauper et inops et nuda relinquitur, facie miseranda, inculta, hispida, propter quod non est hodie ecclesiam ornare, sed spoliare, non est custodire, sed perdere, non est defendere, sed exponere, non est instruere, sed prostituere, non est pacere gregem, sed mactare et devorare, dicente Domino de illis, qui devorant plebem meam sicut escam panis. *Bern. super cant. serm. 78.*

13. Curritur in clero passim ab omni ætate et ordine, á doctis pariter et indoctis ad ecclesiasticas curas, lanquam sine curis jam quisque victurus sit, quum ad curas pervenerit. *Bern. in quodam serm.*

14. Si insurgeret apertus hæreticus, mitteretur foras et areceret: si violentus inimicus, absconderet se forsitan ab eo: nunc vero quid ejiciet, á quo abscondet se? omnes amici et omnes inimici: omnes necessarii, et omnes adversarii: omnes domestici, et nulli pacifici: omnes proximi, et omnes, quæ sua sunt quærunt. *Bern. super cant. serm. 51.*

15. Clericis conceditur, ut bene viventes, et altari servientes, vivant quidem, non luxurientur. *Bern. in epist.*

16. Peccata populi mei comedunt, sed sicut nihil habentes proprium, non peccata, sed alimenta quibus indigere videntur, accipiunt: ita possessores non alimenta, quibus abundant, sed aliena peccata suscipiunt. *Prosp. lib. 1. de vita contemp.*

Vide etiam in tit. Ebrietas, núm. 18. in tit. Exemplum, núm. 16. in tit. Munus, núm. 2. in tit. Oratio, núm. 9. in tit. Pœnitentia, núm. 38 et 39.

COGITATIO.

1. Cogitationes nostræ non sunt in potestate nostra. *Aug. lib. 4. contr. Petil.*

2. Quicquid pudet dicere, pudet et cogitare, est tutissimum atque perfectum, ut assuescat animus sollicita semper et pervigili custodia discernere cogi-

lationes suas, et ad primum animi motum, vel probare vel reprobare, quod cogitat; vel bonas cogitationes alat, vel statim malas extinguat. Hinc namque fons est boni, et origo peccandi. Ibi maximè oportet observare peccatum, ubi nasci solet, statimque ad primam tentationis faciem, et malum antequam crescat reslinguere, dum adhuc est in cogitatione. *Hier. in epist. ad Demet.*

3. In illa tantum cogitatione peccatum, quæ suggestioni consensum mentis dedit, quæ malum suum blande fovet, quæ in factum gestit irrumperè. Hujus cogitatio est, si ex aliquo impedita casu non impleat voluntatem: nihilominus actione criminis condemnatur à Domino: ut illud in Evangelio legimus. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum, etc. Hier. ibid.*

4. Ad peccatum, quod opere perpetratur, nequam pervenies, si incentiva vitiorum statim in mente jugulabis, et parvulos Babylonis allides ad petram, in qua serpentis vestigia non reperiuntur, et cautè Domino promittes: *Si mei non fuerint dominati, etc. Ibidem.*

5. Tunc ad perfectionis summam pertingimus, quum sic exteriora vitia vincimus, ut cogitationes superfluas à mente reseremus. Nam tantò longius mens à necessariis cessat, quanto inania latius cogitat. *Greg. 2. Moral.*

6. Peccata operis tanto citius cognoscuntur, quanto exterius videntur: peccata verò cogitationis eo ad intelligendum sunt difficilia, quo invisibiliter peperantur: et tantò latius cogitationes desluunt, quanto se esse securius aestimant, quia foris à reprehensoribus non videntur. *Greg. lib. 11. mor.*

7. Magno studio superfluae cogitationes amputandæ sunt. Sed tamen amputari funditus nequaquam possunt. Semper enim caro superflua generat, quæ semper spiritus ferro sollicitudinis rescindat. *Greg. lib. 5. Moral.*

8. Electorum mentes si quas in se carnales cogitationes inveniunt, pœnitentiæ ardore consumunt,

nec cogitationes suas dilatarì carnali voluptate permittunt: quia eo semetipses judicantes subtilius ferriunt, quo districtum judicem præstolantur vicinum. *Greg. lib. 12. Moral.*

9. Quum reproborum mentibus occasio perpetrandi peccati deest, desideriorum cogitationes eorum cordibus nullatenus desunt: et quum non semper diabolus sequuntur in opere, valde lamen se illi obligant in cogitatione. *Greg. 14. moral.*

10. Ante Dei oculos vacuæ non transvolant cogitationes nostræ: et nulla momenta temporis per annum transeunt sine statu retributionis. *Greg. lib. 20. moral.*

11. Sæpè misericors Deus eò citius peccata cordis abluit, quò hæc exire ad opera non permittit, et cogitata nequitia, quantò citius solvitur: quia effectus operis non ligatur. *Greg. in Past. c. 53.*

12. Si à domo mentis ad momentum ratio discedat, quasi absente domina, cogitationum clamor velut garrulla ancillarum turba multiplicat. Ut autem ratio ad mentem redierit, mox se confusio tumultuosa compescit: et quasi ancillæ se ad injunctum opus tacitè reprimunt, dum cogitationes proinus se causis propriis ad utilitatem subdunt. *Greg. in moral.*

13. Cogitatio est improvidus animi respectus ad evagationem pronus. *Hugo.*

14. Quocumque tempore non cogitaveris Deum, puta te illud tempus amisisse. *Cass. super illud Psalm. Et cor meum dereliquit me.*

15. Incipiamus bonas cogitationes diligere, et statim ab illis, quæ malæ sunt, dignabitur Dominus liberare. *Cas. monition. 2. c. 3.*

16. Mentem non interpellari cogitationibus, impossibile est: suscipere vero eas sive respuere, omni studentì per gratiam Dei possibile est. Quemadmodum igitur ortus earum non omnimode pendet à nobis, ita reprobatio vel electio consistit in nobis. *In collationibus Patrum, collat. Moysi.*

17. Cogitationes vagas et inuiles, et velut somno

similes non recipias: quibus si animum tuum oblectaveris, quum omnia disposueris, tristes remanebis. *Senec. de quatuor virtutibus.*

18. Si quid cogitaveris, citò apparebit: conversantibus bene cogitata si excedunt, non occidunt. *Sen. in proverb.*

Vide etiam in tit. Anima, núm. 10, 16. in tit. Conversatio, núm. 32. in tit. Cor, núm. 14. in tit. Deus, núm. 28. in tit. Diabolus, núm. 1. in tit. Dilectio, núm. 20. in tit. Mors, núm. 37. in tit. Oratio, núm. 52. in tit. Peccatum, núm. 12 et 13. in tit. Religio, núm. 9. in tit. Tentatio, núm. 7 et 13.

COMPASSIO.

1. Pia est ista tristitia, et si dici potest, bona miseria vitis alienis tribulari, non implicari, mœrere, non hærere: dolore contrahi, non attrahi. *Aug. in ep. ad Sebastia.*

2. Quum alienæ infirmitati compatimur, valentius à nostra roboramur, ut amore futurorum mens ad præsentia adversa se preparet: et cruciatus corporis quos timebat, expectet. *Greg. lib. 7. moral.*

3. Tunc plena cordis nostri compassio est, quum mala inopiæ pro proximo suscipere non metuimus, ut illum à passione liberemus. Plus est aliquando compati ex corde, quam dare: quia quisquis indigenti perfecte compatitur, minus æstimat omne, quod dat: et rem quamlibet plerumque dat, qui non compatitur. *Greg. lib. 20. moral.*

4. Tantò quisque perfectior est, quanto perfectius sentit dolores alienos. *Greg. lib. 19. moral.*

5. Sic mens per compassionem doleat, ut etiam larga manus affectum doloris ostendat. *In hom.*

6. Sicut pura veritas non nisi puro corde videtur: sic miseria fratris misero corde verius sentitur. *Greg. in hom.*

7. Compassio est, quum malum inopiæ pro proximo non metuimus, ut eum à passione liberemus. *Ibid.*

8. Magnæ actum pietatis dispensatione cognoscimus, ut is, qui futurus erat pastor ecclesiæ in sua culpa disceret, qualiter aliis misereri debuisset, ut in sua infirmitate cognosceret, quam misericorditer alienam infirmitatem toleraret. *Greg. in hom. pascha et est l. di. considerandum.*

9. Si doles, condoleo, si non doleo tantum, et maximè sciens à salute longius absistere membrum, quod obstupuit, et ægrum sese non sentientem periculosius laborare. *Bern. de Conf.*

10. Nonnulli dura service et attrita sunt fronte: ut quò magis eis compatimur, tantò magis nostra compassione et patientia abutantur. *Bern. in serm.*

11. Devotus miles non sentit sua, cum benigni ducis contuetur vulnera. *Bern. ibid.*

12. Impossibile est scire afflictiones afflictorum ei, qui experimentum afflictionis non habuit. *Chrys. super ep. ad Hebr. serm. 30.*

13. Religiosa tristitia, aut alienum peccatum luget, aut proprium: nec de hoc dolet, quod divina iustitia agitur: sed de eo mœret, quod humana iniquitate committitur, ubi magis plangendus est faciens maligna, quam patiens. *Leo. Papa tractans illud: Beati qui lugent.*

14. Triplex est modus compassionis: est quippe compassio alia ex vitio, alia ex natura, alia ex virtute. Compassio ex vitio est, quando affectus illic reprehensibili dolore tangitur, ubi illicito prius amore tenebatur. Compassio ex natura est, quando ex insito sibi pietatis affectu animus alienis condolet, quoties contra pietatis vel humanitatis mensuram, naturam premi sive affligi videt. Compassio ex virtute est, quando propter Deum alienis doloribus compatimur, quum scilicet justitiam premi, vel innocentiam affligi videmus. Compassio ex vitio, culpabilis est. Compassio ex natura, irreprehensibilis est. Compassio ex virtute, laudabilis est. Prima reprehenditur, tertia laudatur, secunda nec culpam habet, quia ex natura est: nec præmium, quia ex virtute non est. *Hugo. de trib. voluntatibus in Christo.*

15. Tria sunt, per quæ probatur vera compassio, scilicet occulta beneficia, paupertas et mors. Beneficium enim si impendatur occultè, humanæ laudis extinguit favorem: quando autem pauperis miseretur aliquis, temporalis removet spem retributionis: quum pro proximo pati mortem non reuult, amorem mundi non præponit. Hæc sunt enim tria illa, quæ solent enervare compassionis membra, humanus scilicet favor, temporalis retributio, et amor mundi. *Hugo. de claustr. animæ c. 9.*

16. Longitudine temporis tentatio augetur, per triduum enim crescentibus curis paterna viscera cruciantur, et prolixo spatio pater filium inueltur, cibum cum eo sumit: tot noctibus pendet puer in amplexu patris: cubat in gremio, et per singula momenta in paterno affectu dolor occidendi filii cumulat. *Alchin. de immolatione Abrahamæ.*

17. Cujus pectus tam ferreum, cujus cor tam lapideum, ut gemitus non exprimat, lachrymas non effundat, cum proximi vel amici morbum vel interitum intuetur? ut patienti non compatiatur, et dolentibus non condoleat? Ipse Jesus cum vidisset Mariam et Judeos plorantes, infremuit spiritu, turbavit semetipsum, et lachrymatus est. *Inno. de Vil. conditionis humanæ.*

18. Vide si adhuc malus es, et similibus parce. *Senec. in Proverb.*

Vide etiam in tit. Adjutorium, núm. 10. in tit. Beneficium, núm. 9. in tit. Consolatio, núm. 6. in tit. Convilium, núm. 1. in tit. Correctio, núm. 2, 20. in tit. Crux, núm. 7. in tit. Divitiæ, núm. 40. in tit. Dolor, núm. 5. in tit. Eleemosyna, núm. 31. in tit. Excusatio, núm. 14. in tit. Infirmitas, núm. 1. in tit. Lacryma, núm. 14. in tit. Perfectio, núm. 7. in tit. Servitus, núm. 10, 11.

COMMUNITAS, SIVE CONGREGATIO.

1. Quicquid sceleris et iniquitatis inebriat multi-

tudinem, amittit in examine veritatem. *Aug. epist. cont. Perueniam lib. 5.*

2. In solitudine citò subrepat superbia: dormit quando voluerit: facit quod voluerit: tu autem qui in communitate vivis, non facies quod vis, comedes quod juberis: subjiciaris cui non vis, servies fratribus. Præpositum monasterii timeas ut Deum, diligas ut parentem. *Hier. ad rusticum monach.*

3. Plenissima peccatorum obtinetur ablutio, quando lotius Ecclesiæ una est oratio, et una confessio. Si enim duorum vel trium sanctorum pio consensui omnia quæ poposcerint dominus præstanda promittit, quid negabitur multorum millium plebi unam observantiam pariter exequenti, et per unum spiritum concorditer supplicanti? *Leo papa serm.*

4. Publica præferenda sunt propriis: et ibi intelligenda est præcipua ratio utilitatis, ubi vigilat cura communis. *Leo ibidem.*

5. Provide decrevit antiquitas communitatem edictis generalibus admoneri, per quæ et debitum omne corrigitur, et excedentis verecundia non gravatur. Cuncti enim sibi æstimant dici, ubi nullum constat exponi: et similis fit innocenti, quem contigerit sub communionem purgari. *Cass. lib. 5. epist. 18.*

6. Nam si disparibus calamis convenit unum melos edicere, nullò magis viris prudentibus aptum est justum concordie voce suadere. *Cass. ibid. epist. 9.*

7. Stulta avaritia mortalium possessionem, proprietatemque discernit, nec quicquam suum esse credit, quod est publicum: at sapiens nil judicat suum magis quam illius, cui cum humano genere consortium est. Nulla essent communia, nisi pars illorum pertineret ad singulos. *Senec. 29. epist.*

Vide etiam in tit. Contemplatio, núm. 21. in toto tit. Ecclesia, in tit. Favor, núm. 4, 5, 7. in tit. Homo, núm. 23, 24. in tit. Justitia, núm. 6, 7. in tit. Lex, núm. 4. in tit. Prædicatio, núm. 6. in tit. Religio, núm. 28. in tit. Servitium, núm. 11. in tit. Sollicitudo, núm. 7, 13. in tit. Superbia, núm. 29. in tit. Veritas, núm. 24. in tit. Vitium, núm. 17.

CONCUPISCENTIA.

1. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, id est, hoc fine et hoc animo attenderit, ut eam concupiscat, quod jam non est delectatio carnis, sed plane consentire libidini, ita ut non refrænetur illicitus appetitus, sed si facultas fuerit, satiatur hic mœchatus est. *Aug. de serm. Dom. lib. 1.*

2. Nescio quomodo hoc ipsum, quod concupiscitur, sit jucundius, dum velatur. *Aug. de spirit. et Litera.*

3. * Concupiscentia minui potest, consumi non potest in hac vita. *Aug. lib. 5. cont. Juli.*

4. Qui viderit mulierem, etc. Inter passionem et propassionem hoc interest, quod passio reputatur in vitium: propassio licet in illic culpam habeat, tamen non tenetur in crimine. Ergo qui viderit mulierem, et anima ejus fuerit tilillata, hic propassione percussus est. Si verò consenserit, et de cogitatione affectum fecerit, sicut scriptum est in David: *transierunt in affectum cordis*, de propassione transivit ad passionem, et huic voluntas peccati non deest, sed occasio. Quicumque ergo viderit, id est, si sic aspexerit, ut concupiscat, ut facere disponat, iste rectè mœchatus dicitur eam in corde suo. *Hier. super Matth. lib. 1. c. 14.*

5. Caro quum concupiscitur, pensetur quid sit exanimis, et intelligatur quid ametur. Nil quippe sic ad edomandum desideriorum carnalium appetitum valet, quam ut quisque hoc, quod vivum diligit, quale sit mortuum penset. *Greg. lib. 18. moral.*

6. Viscus quidam pravi desiderii, et delectationis terrenæ animam volare non patitur, et citius retrahit mentem, si fortè aliquando sublevatur. *Bern. in serm. super cant.*

7. Concupiscentia carnis, est motus animæ in affectu sordidæ cogitationis. *Isid. lib. 2. de sum. bon.*

Vide etiam in lit. Caro, núm. 8. in lit. Conjugium, núm. 3. in lit. Voluntas, núm. 10, 11. *

CONFESSIO.

1. O homo, quid times confiteri? illud quod per confessionem scio, minus scio, quam illud quod nescio. Cur confiteri erubescis peccata tua? peccator sum sicut et tu: homo sum, humani à me nihil alienum: confitere homo homini, homo peccator homini peccatori: elige quod vis: si non confessus lateris, confessus damnaberis: ad hoc Deus exigit confessionem, ut liberet hominem humilem, ad hoc damnat non confitentem, ut puniat superbum. *Aug. super Psalm.*

2. Tanto tempore appensum est, tantumque valuit apud eum, qui hoc novit appendere, quod latro in cruce confessus est Dominum crucifixum, quantum si fuisset pro domino crucifixus. *Aug. sup. Joan.*

3. Servus peccati, quo fugit, secum se trahit quocumque fugerit: non fugit seipsam mala conscientia, non est quo eat, sequitur se, imo non recedit à se. Peccatum enim quod facit, intus est. Vis audire consilium? si vis à Deo fugere, ad ipsum fuge confitendo, non ipsi aliquid latendo: confiteri enim potes, latere non potes. *Ibidem.*

4. Quum humilitatis causa mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris, quod vitaris. Veritas in te non est, nisi ita dixeris te peccatorem, ut esse cognoscas. *Ibidem.*

5. Discretio confessoris valde necessaria est: consideret qualitatem criminis in loco, in tempore, in perseverantia, in veritate personæ, cujus fuerit aletis, cujus sapientiæ et ordinis, et quali hoc fecerit tentatione, et in ipsius multiplici executione. *Aug. in lib. de Penitentia.*

6. Confessio est salus animarum, dissipatrix vitiorum, oppugnatrix dæmonum. Quid plura? obstruit os inferni, portas aperit paradisi. *Aug. ibid.*

7. * Confessio non tantum peccatorum, sed et laudis Dei est. *Aug. epist. 121.*

8. * Confessio peccatorum in corde antequam os pelat, exauditur. *Aug. in enarrat. Psal. 51.*

9. Plurimum suffragatur Deo verecunda confessio: et pœnam, quam defensione evitare non possumus, pudore revelamus. *Ambr. in lib. de Jos. 56.*

10. Qui se accusat, etsi peccator sit, justus esse incipit: quia nec sibi parcit, et Dei justitias confitetur. *Ambr. sup. Beati immaculati.*

11. Cessat enim vindicta divina, si confessio præcurral humana. *Ibidem.*

12. Qui promereri vult, quod expetit, debet malum confiteri, quod fecit; valde enim facile est, ut peccatorem se quisque fateatur: quum nihil pro peccato suo patitur. *Greg. lib. 8. moral.*

13. Hæc sunt vera humilitatis insignia, iniquitatem suam quemque cognoscere, et cognitam voce confessionis aperire. *Greg. lib. 22. Moral.*

14. Peccatores nos in tranquillitate loquimur: sed cum de peccatis ipsis flagello interveniente corripimur, murmuramus. Pœna ergo nos interrogat, si culpam veraciter cognoscimus. Plerumque gravioris certaminis est commissa peccata prodere, quam non admittenda vitare. *Ibidem.*

15. Mirentur in bono Job qui volunt castitatis continentiam: mirentur integritatem justitiæ, mirentur viscera pietatis: ego in eo non minus admiror confessionem humilissimam peccatorum, quam tot sublimia virtutum. *Greg. 12. moral. super illud Job. Si celavi in sinu, etc.*

16. Vulnere clausa plus cruciant: nam quum putredo, quæ interius fervet, ejicitur, ad salutem dolor aperitur. *Greg. in past. c. 58.*

17. * Mala quæ facimus, sponte confiteamur, et hæc aliis arguentibus non negemus. *Greg. 12. moral.*

18. Sacerdotes caute necesse est vigilare sollicitos, quo videlicet delinquentium cordibus tanto moderamine verbum timoris et contritionis infligant, quatenus eos nequaquam à verbo confessionis exterreant: sic corda aperiant, ut ora non obstruant, Sed nec absolvant

etiam compunctum, nisi viderint confessum: quoniam quidem corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Quisquis ergo verbum confessionis in ore habet, et in corde non habet, aut dolosus est, aut vanus: qui verò in corde et non in ore, aut superbus est, aut limidus. *Aug. ad frat. in Ere. serm. 50. to. 10.*

19. Indicia veræ confessionis sunt, sicut unusquisque se peccatorem dicit, id de se dicenti alteri non contradicat: nam non peccator, sed justus videri appetit, quum peccatorem se quisque arguente confitetur: superbiæ quippe vitium est, ut quod de se fateri quis sua sponte dignatur, hoc sibi dici ab aliis dedignetur. *Bern. de 12. gradibus humilitatis.*

20. Trux morsus à serpente fugit conscientiam sacerdotis: ad quem eum magis oportuerat lanquam ad sinum recurrere matris. *Bern. super cant.*

21. * Apertas confessionis fenestras inveniat in nobis Dominus. *Bern. in can. ser. 59.*

22. Absque confessione justus judicatur ingratus, et peccator mortuus reputatur: confessio igitur peccatoris est vila, justis gloria, et necessaria est peccatori, et justum nihilominus decet. *Bern. epist. c. 14.*

23. Si sufficeret fides cordis, non creasset tibi Deus os: si sufficit Christo, quia cognoscis eum, etsi confessus fueris coram hominibus, ergo et tibi sufficit quod te cognoscit Christus, et si non confitearis coram Deo. *Chrysost. super illud: Matth. Qui me confessus.*

24. Confessio est per quam animæ morbus latens sæpè consequendæ veniæ in Dei laudem aperitur. *Isid. lib. etymo.*

25. O ingeniosa simplicitas, et mille tergiversationibus cautior puritas manifestare delictum! Illis non iudex, sed advocatus est Christus, qui se propria confessione damnarunt. *Cass. super illud: Beati quorum remissa.*

26. Mira compensatio, stupenda vicissitudo, domino suo propria mala dicere, et ab eodem præmia

salutis accipere. Quis non incitetur illi ad præmium confiteri cui non possis negare quod feceris? *Cass. super illud Psalm. Vias meas annunt.*

27. Non remanet iudicio condemnandum, quod fuerit confessione purgatum. *Leo papa in serm.*

28. Maxima spes est recuperandæ salutis, fontem nosse languoris. *Val. in serm.*

29. Venia dignus est, qui de peccato excusationem non quærit: ubi enim est confessio, ibi remissio: quia proximum ad innocentiam tenet locum verrecunda peccati confessio. *Ibidem.*

30. Initium salutis, nolitia peccati. Nam qui peccare se nescit, corrigi non vult. Ideo quantum potes, te ipsum argue, inquire in te, accusatoris primum partibus fungere, deinde iudicis, novissimè deprecatoris. *Senec. epist. 29.*

31. Quare vitia sua nemo confitetur? quia etiam nunc in illis est. Somnium narrare, vigilantis est: et vitia sua confiteri, sanitatis indicium est: expergiscamur ergo, ut mores nostros coarguere possimus. *Senec. 54. epist.*

32. Omnia vitia in aperto leviora sunt: morbi quoque ad sanitatem tunc inclinant, quum ex abdito erumpunt, ac vim suam proferunt: et avaritiam, et ambitionem, et cætera vitia mentis humanæ tunc perniciosa scias esse, quum simulata sanitate subsidunt.

Vide etiam in tit. Conscientia, núm. 11, 19. in tit. Correctio, núm. 42. in tit. Damnum, núm. 2. in tit. Pœnitentia, núm. 11, 20.

CONFIDENTIA.

1. Adversaria est confidentia, quæ periculis vitam suam pro certo commendat: et lubrica spes est, quæ inter somenta peccati salvam se sperat: incerta victoria est inter hostilia arma pugnare: et impossibilis liberatio est flammis circumdari, et non ardere. *Aug. de singularitate clericorum.*

2. Expedit multò bene timere, quam male fide-

re: et utilius est, ut infirmus se homo cognoscat, ut fortis existat, quam fortis videri velit, et infirmus emergat. *Aug. ibid.*

3. Nemo de suo corde præsumat, quando profert sermonem: nemo de suis viribus confidat, quando suffert tentationem: quia ut et bona prudenter loquamur à Deo est, non nostra sapientia, et ut mala fortiter perferamus, ab illo est, non nostra patientia. *Aug. in serm. de S. Vincent.*

4. O homo securum habes accessum ad Deum, ubi mater ante filium, filius ante patrem. Mater ostendit filio pectus et ubera, filius ostendit patri latus et vulnera. Ibi non potest esse ulla repulsa, ubi tot sunt charitatis insignia. *Bern. in serm.*

5. Non confidat prædicator vel auditor verbi divini de acumine ingenii, de subtilitate scrutini, de sedulitate studii: sed magis confidat de bonitate Dei, et de pietate oraculi, de humilitate cordis intimi. *Hugo de S. Victor. in didascal.*

6. Confidentia est, ex virtutum conscientia immotam mentem inter adversa sibi constare. *Ibidem.*

7. Confidentia est certa spes animi perducendi ad finem rem inchoatam. *Tullius.*

8. Confidentia est, per quam magnis et honestis rebus multum ipse animus in se fiduciæ collocavit. *Tul. ibid.*

9. Magna contra diabolum arma sunt, in suis viribus fiduciam non habere, sed Deum rogare, qui adversarium possit opprimere. *Cass. super illud. Psalm. Quoniam humiliata est, etc.*

Vide etiam in tit. Amicitia, núm. 38. in tit. Bellum, Desperatio, Fides, núm. 23. in tit. Præsumptio, núm. 7. in tit. Securitas, Ratio per totum.

CONJUGIUM.

1. Quia ægritudini semper consulendum est, propterea si contigerit primo privari conjugio, si voluerit secundas vel tertias inire nuptias, nullum de illis

peccatum habebit, si eas caste seryaverit: et si fuerit aliquis conjugalibus excessus, qui tamen legitimum non violet thorum, habebit nonnullum, sed veniale peccatum. *Aug. de fide ad Petrum.*

2. * Matrimonium non est, ubi datur opera ne foemina pariat. *Aug. lib. mo. 2. de Manich.*

3. Benè utitur malo, concupiscentiam restringens connubio. *Aug. de pu. bapt.*

4. * Conjugum dissentio, totius domus est perturbatio. *Aug. in Psalm. 55.*

5. * Conjugium humile melius est virginitate superba. *Aug. in Psalm. 99.*

6. Propemodum non inferioris virtutis est eo abstinere conjugio, quod aliquando delectaverit, quam conjugii oblectamenta nescire. Copula nuptialis non est quasi culpa vitanda, sed quasi necessitatis sarcina declinanda. *Amb. de viduis.*

7. Tolle quod pejus est, et per se non erit bonum nubere. Vide qualia sunt matrimonia, quae lupanaribus praeferuntur. *Hier. in quadam epist.*

8. Sicut boni filii adulterorum nulla est defensio: sic mali filii conjugatorum nullum crimen est matrimonii: quia non in seminibus, sed in voluntate nascentis causa vitiorum est atque virtutum. *Hier. in epist. ad Ruffinum.*

9. Bonum est conjugium, sed mala sunt, quae circa illud ex hujus mundi cura succrescunt. Dum ergo tenetur quod non nocet ex rebus juxta positis, committitur plerumque quod nocet: sicut saepe rectum mundumque iter pergimus: et tamen ortis juxta viam vepribus per vestimenta retinemur. In via quidem munda non offendimur, sed à latere nascitur, quo pungamur. *Greg. 12. moral.*

10. Qui tentationum procellas cum difficultate tolerant, conjugii portum petant. Melius est nubere, quam uri. Sine culpa enim ad conjugium veniunt, si tamen necdum meliora devoverunt. *Ibidem.*

11. *Quos Deus conjunxit, homo non separet, subaudi, violenter, sine lege, absque ratione.* Non enim

homo separat, quos poena damnat, quos realus accusat, quos maleficium coarctat. *Isid. super isto verb. Matth. 19.*

12. Quemadmodum si vides hominem assidue amicitias medicorum colentem, ex hoc statim intelligis, quod infirmus est: sic et cum videas, sive virum, sive mulierem de dimittendis uxoribus, aut viris legem interrogantes, cognosce quia vir ille lascivus est, et mulier illa meretrix est. *Chrys. super eodem verb. Matth. 19. Quos Deus, etc.*

13. Omnis causa per quas nascitur, per ipsas absolvitur causas: matrimonium enim non facit coitus, sed voluntas: et idè non illud solvit separatio corporis, sed separatio voluntatis. *Chrys. super illud Matth. 19. hom. 25. Quicumque, etc.*

14. Sicut crudelis est et iniquus, qui castam dimittit, sic fatuus est et injustus, qui retinet meretricem. *Chrys. ibid.*

15. Non uxor ducenda sapienti, primum quia studia philosophiae impedit, nec potest quisquam libris et uxori pariter inservire. Multa sunt, quae matronarum usibus necessaria sunt, videlicet pretiosae vestes, aurum, gemmae, sumptus ancillae, supellex varia, deinde per totas noctes garrulae quaestiones: Illa ornatior procedit in publicum, haec honoratur ab omnibus: ego in conventu foeminarum misera despicio. Cur aspiciebas vicinam? quid cum ancilla loquebaris? de foro veniens quid attulisti? non amicum habere possumus, non sodalem, alterius amorem, suum suspicatur odium. *Hugo de S. Victor. in libello ad socium volentem nubere.*

16. Adde quod nulla est uxoris electio: sed qualis advenerit, talis sit habenda. Si iracunda, si fatua, si deformis, si superba, si foetida: quodcumque vitium est, post nuptias discimus. Equus, asinus, bos, canis, et vilissima mancipia prius probantur, et sic emuntur: sola uxor non ostenditur, ne ante displiceat, quam ducatur. *Ibidem.*

17. Attendenda est semper ejus facies, et pul-

chritudo laudanda, ne si alteram inspexeris, se existimet displicere. Si totam domum ei regendam commiseris, serviendum est. Si aliquid tuo arbitrio reserveris, fidem sibi haberi non putabit, et in odium vertitur et jurgia: et nisi cito consulueris, parabit venena anus. *Ibidem.*

18. Quieta est continens vita, quam non inquietat uxoris suspicio, non sollicitant ancillarum sumptus, nec conturbat filiorum perversitas, quæ munditiæ gignit florem, puritatis parit fructum, bonæ conscientiæ profert odorem. *Ibidem.*

19. Ducuntur hodie uxores non causa fornicationis vitandæ, sed causa luxuriæ: non causa proles, sed causa pecuniæ. Unde Marci Catonis filia junior, quum quæreretur ab ea, cur post amissum virum denuò non nuberet, respondit se non invenire virum, qui se magis vellet, quàm sua: quo dicto eleganter ostendit, divitias magis in uxoribus eligi solere, quam pudicitiam, et multos non oculis, sed digitis uxores ducere. Optima et sana res, quam non avaritia conciliat, quam non luxuria copulat. *Ibidem.*

20. Amice, contumelia viri, uxor inobediens, cave tibi. Veritas, quæ non potest falli, ait de beato David: Inveni virum secundum cor meum: hic tamen egregiè præcipitatus est amore mulieris ab adulterio in homicidium: amica Bersabeæ siluit, in nullo malignata est, nihilominus facta est stimulus subversionis viro perfecto, et mortis aculeus innocenti marito. Utraque nocens erit, quæ contendet eloquentia, ut Dalida Samsonis: et quæ forma, ut Bersabeæ. Si ergò non es amplius secundum cor Domini, quàm David, credo quod et tu præcipitari potes. *Val. in epist. ad Rufin.*

21. Optima fœmina, quæ rarior est Phœnice, amari non potest sine solitudinis amaritudine, et metus frequenter infortunii. Malæ verò, quarum tam copiosa sunt examina, ut nullus locus sit expers malignitatum earum, quum amantur, amarè pungunt et afflictioni vacanti, usque ad divisionem corporis et spiritus. *Ibidem.*

22. Sol hominum Salomon, thesaurus deliciarum, sapientiæ Domini singulare domicilium crasso tenebrarum fuscatus atramento: lucem animæ suæ, gloriæ domus suæ fœminarum facinore amissit, et postremò curvatus coram Baalim, ex Ecclesiaste Domini, mutatus est in membrum Zabuli. *Ibidem.*

23. Jupiter rex terrenus, qui etiam dictus est cœlorum rex, præ singulari strenuitate corporis et incomparabili mentis elegantia post Europam mugire coactus est. Amice ecce, quem bonitas super cœlos extulit, fœmina brulis comparavit, poterit et te fœmina cogere ad mugilum, si non est major Jove. *Ibidem.*

24. Patimius flens ait Arrio vicino suo: Amice arborem habeo in horto meo infelicem, de qua se prima uxor mea suspendit, et postmodum secunda, et jam nunc tertia. Cui Arrius, miror te in tantis successibus lacrymas invenisse. Et iterum, dii boni, quæ dispendia arbor illa tibi suspendit! et tertio, amice da mihi de arbore illa surculos, quos seram, amice, et ego dico tibi: metuo ne te oporteat arboris hujus surculos mendicare et inveniri non potuerunt. *Ibidem.*

25. Metellus respondit Mario, cujus filiam dote felicem, forma nobilem, genere claram, fama celebrem ducere noluit: Malo inquit meus esse, quam suus. Cui Marius: imo ipsa erit tua: at ille, imò virum oportet uxoris esse: logicum enim est: talia erunt prædicata, qualia subjecta esse permiserint: sic facetia verbi Metellus divertit dorsum ab oneribus ejus. *Val. ibidem.*

26. Audax est ad omnia quæcumque amat vel odit fœmina: et artificiosa est nocere cum vult. Sed ne longo dispendio te suspendam, lege Aureolum Theophrasti et Medeam Jasonis, et vix pauca invenies impossibilia mulieri. Amice del tibi Deus omnipotens, omnipotentis fœminæ fallacia non falli. *Ibidem.*

27. Socrates ab adolescentulo quodam consultus, utrum uxorem duceret, an se omni matrimonio abstereret, respondit utrum eorum fecisset, acturum pœ-

nitentiam. Hinc te, inquit, sollicitudo, hinc orbitas, hinc gravis interitus, hinc hæres alienus excipiet: illinc perpetua sollicitudo, contextus querelarum, dotis exprobratio, afinium supercilium grave, garrula socrus lingua, successor alieni matrimonii, incertus liberorum eventus. *Val. Max. lib. 7. de memoralibus dictis.*

28. Nulla tam bona est uxor, in qua non invenias quod conqueraris. Sicut nihil suavius benigna conjuge: ita nihil infesta muliere crudelius: quanto enim sapiens vitam suam pro viri salute opponit, tanto maligna ad mariti mortem etiam vitam suam reputat. Nihil ergo muliere molestius, quæ quantum in re conjunctior, tantum disjunctior morum dulcedine, aut felle malitiæ: Mulier speciosa templum est ædificatum super cloacam. *Diogen. Philosoph.*

29. Duo genera lachrymarum habentur in oculis feminarum, veri doloris unum, insidiarum alterum. *Pithag. Philosoph.*

30. Socrates, cum quidam ex ejus doctrina benemerili discipuli ad eum descenderent, rogantes eum, ut aliquod præceptum ordinandæ susciperent vitæ, in suum eos diversorium secum venire fecit, uxoremque suam Xanthippem in superioribus constitutam vocavit: jussitque, vasa oleo et melle plena ut ejiceret: admirantibusque discipulis ait: si hanc in domibus vestris rerum potestatem habueritis, beatam vitam disponetis. *In prov. philosoph.*

31. Habent locum maledicti crebræ nuptiæ. Quæ multis nubit, multis non placet. *Senec. in prov.*

32. * Vitium uxoris aut tollendum, aut ferendum est: qui tollit vitium uxoris, commodiorem præstat: qui fert, sese meliorem facit. *Gell. lib. 1.*

Vide etiam in tit. Castitas, núm. 4, 17. in tit. Mulier et Peccatum, núm. 6. in tit. Virginilas, núm. 1, 9, 17.

CONSCIENTIA.

1. ¿Quid obest illi, si de illa tabula eum humana

vult delere ignorantia, si eundem de libro viventium nunquam propria deleat conscientia? nam et si bonum, quod de nobis dicitur, in mente non invenitur, magnam debet in nobis tristitiam generare: et e contra, si malum quod de nobis dicitur, in nobis non invenitur, in magnam debemus letitiam prosilire. *Aug. in serm.*

2. * Conscientia mala bene sperare non potest. *Aug. in Psal. 51.*

3. * Conscientiam malam laudantis præconium non sanat, nec bonam vulnerat convitium. *Aug. com. tit. Petil.*

4. Bene sibi conscius, falsis non debet moveri convitiis, nec æstimare plus ponderis in alieno esse convitio, quam in suo testimonio. *Ambr. de offic.*

5. Unusquisque non intermittat opus probabile, sive à pluribus videatur, sive sine arbitrio sit. Abundat enim sibi locuples testis conscientia: fugat etiam mala et opprobria, etiam si se credat non posse convinci: nam etsi clausis parietibus sit et coopertus tenebris, sine teste, sine conscio: habet tamen facti arbitrium, quem nihil fallat: ad quem facta clamant omnia: denique clamavit et vox sanguinis. Scipsum unusquisque et animum suum severum judicem, sui ullorem sceleris, et vindicem criminis habet. *Ambr. in epist. ad Constantinum.*

6. * Duo sunt tibi necessaria, conscientia et fama: conscientia, propter te: fama, propter proximum. *Id.*

7. In omni quod dicitur, semper tacitè recurrere debemus ad mentem, et interiorem testem et judicem requirere. Quid enim prodest, si omnes laudent, et conscientia accusat? Aut poterit obesse, si omnes derogent, et sola conscientia defendat? *Greg. super Ezech. ho. 9.*

8. Bonum parat habitaculum Deo, cujus nec ratio decepta, nec voluntas perversa, nec memoria fuerit inquinata. *Bern. in serm.*

9. Bona consolatio, quum et blasphemamur à malis beneficientes, si recti diligant nos: omnino suffi-

cit adversum os loquentium iniquæ, opinio bonorum cum testimonio conscientia. *Bern. super cant.*

10. Fortitudo tua, fiducia fidelis conscientia: decus tuus, splendor bonæ opinionis. *Bern. 5. de consideratione ad Eugenium.*

11. Sensem ex integro recuperasse te scias, si tuam conscientiam quadruplici compunctione sentis morderi, pudore gemino, et gemino metu. Nam vitam ad perficiendum septenarium triplex confessionis species attestatur: Deum cogita factorem tuum, cogita et benefactorem: cogita patrem, cogita Deum. Ad omnia reus es, plange per singula, ad primum et ultimum respondeat timor tuus, ad duo media pudor. Ideo omne quod remordet conscientiam, confitere humiliter, purè, fideliter, et has septem vices adimplesti. *Bern. super cant.*

12. * Conscientia peccati, formidinis mater. *Chrys. in Psal. 50. h.*

13. * Conscientia est codex, in quo cotidiana peccata describuntur. *Ibidem.*

14. * Conscientia impiorum, magna pœna est: piorum verò gaudium magnum. *Ansel. in epist. ad Cor.*

15. Semper conscientia servi Dei humilis esse debet, et tristis: ut per humilitatem non superbiat, et per utilem mœrorem cor ad lasciviam non feratur. *Isid. lib. 3. de sum. bon.*

16. Nulla pœna gravior pœna conscientia. Vis autem nunquam esse tristis? bene vive. Secura mens tristitiam leviter sustinet. Bona vita gaudium semper habet: conscientia autem rei semper in pœna est. Nunquam securus est reus animus: mens enim mala conscientia propriis agitur stimulis. *Isid. lib. 2. Soliloq.*

17. Conscientia munda est, quæ nec de præterito juste accusatur, nec de præsentis injuste delectatur. *Isid. ibid.*

18. Numisma Cæsaris aurum est: numisma Dei, homo. In solidis Cæsar videtur, in hominibus autem Deus agnoscitur, ideo divitias vestras Cæsari date: Deo autem conscientia vestra solam memoriam re-

servate. *Chrys. super illud Matth. 22. Reddite, etc.*

19. Sub ovina pelle vulpinam conscientiam abscondebam. Vulpina plane conscientia, tepida conversatio, animalis cogitatio, ficta confessio, brevis et rara compunctio, obedientia sine devotione, oratio sine intentione, lectio sine edificatione, sermo sine circumscriptione. O quam dura sunt mihi ista quæ loquor, quoniam meipsum loquendo ferio! Verumtamen quia non me peccatorem nego, sed peccatum meum cognosco, erit fortasse apud Deum iudicem impetratio veniæ, ipsa cognitio culpæ. *Hug. lib. 1. de anim. c. 15.*

20. Tranquilla conscientia est, quæ omnibus est dulcis, nulli gravis: utens amico ad gratiam, inimico ad patientiam: cunctis ad benevolentiam: quibus potest, ad beneficentiam: cui Deus nec sua peccata imputat: quia non fecit, nec aliena, quia non approbavit: nec negligentiam, quia non lacuit: nec superbiam, quia in unitate permansit. *Hug. lib. 2. de anima c. 9.*

21. Conscientia bona, titulus est religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, aureum declinatorium, gaudium Angelorum, arca federis, thesaurus regis, aula Dei, habitaculum Spiritus Sancti, liber signatus et clausus, et in die iudicii aperendus. *Ibidem.*

22. Conscientia est cordis scientia: cor enim et se novit sua scientia, et multa alia, quando novit se, appellatur conscientia, quando præter se alia, nominatur scientia. *Ibid. c. 22.*

23. Quid acquiri putatur, ubi bona conscientia perditur? aut in qua parte possit homo proficere, si innocentiam probatus fuerit amisisse? *Cass. lib. 4. epist. 8.*

24. Arborem quam florere vides, quam summa concupiscis viriditate lætari, subterraneo succo fecunditatis animatur, reddens in superficie, quod continetur in radice. Hominum quoque vultus magna hilaritate decoratur, si visceribus sanis gravamen nullius sentiat læsionis. *Cass. lib. 2. epist.*

25. Rem dicam, ex qua mores æstimes nostros. Vix quempiam invenies, qui possit aperto ostio vivere. Janitores conscientia nostra, non superbia opposuit, sic vivimus, ut deprehendi sit subito aspici. Quid autem prodest recondere se, et oculos hominum auresque vitare? Bona conscientia turbam advocat: mala autem in solitudine anxia atque sollicita est. Si honesta sunt quæ facies, omnes sciunt: si turpia, quid refert neminem scire, cum tu scias? O te miserum, si contemnis hunc testem! *Sen. 96. epistol.*

26. Nemo plus videtur æstimare virtutem, nemo magis illi esse devotus, quam qui boni viri famam perdidit, ne conscientiam perderet. *Senec. 72. epist.*

27. Sic vivendum est, tanquam in conspectu vivamus: sic cogitandum, tanquam aliquis pectus intimum prospicere possit. *Lib. de moribus.*

28. Conscientiam magis, quam famam attende. Falli namque sæpè poterit fama, conscientia nunquam. *Ibidem.*

29. Mala conscientia sæpè tuta est, secunda nunquam. Itaque nihil ei commiseris, nisi quod amico committere possis: plerique famam, conscientiam autem pauci verentur. *Ibidem.*

30. Nullum conscium peccatorum tuorum magis timueris, quam temetipsum: alium enim potes effugere, te autem nunquam, nequitia enim ipsa est sui pœna. *Ibidem.*

31. Superet conscientia, quicquid mali finxerit lingua. *Ibidem.*

32. * Stulti malorum conscientia torquentur, sapientes bona præterita grata recordatione renovata delectant. *Cicer. 2. de fin.*

33. * A recta conscientia non oportet quemquam in omni vita transversum unguem discedere. *Id. ad At. lib. 5.*

34. * Si optimorum consiliorum atque factorum testis in omni vita nobis conscientia fuerit, sine ullo metu summa cum honestate vivemus. *Idem pro Cluent.*

35. * Conscientia rectæ voluntatis maxima consolatio est rerum incommodarum. *Idem ad Torquat.*

Vide etiam in tit. Amina, núm. 26. in tit. Confessio, núm. 3. in tit. Conversatio, núm. 9. in tit. Fama, núm. 6. in tit. Gloria bona, núm. 1. in tit. Honestas, núm. 2. in tit. Injuria, núm. 6. in tit. Solitudo, núm. 1, 18, 23. in tit. Virtus, núm. 27.

CONSIDERATIO SUI.

1. Remotis obstaculis insanæ opinionis scelera nuda judicentur: nuda pensentur: nuda inspiciantur, fallacia tegimina, et vanæ laudes gloriæ auferantur, et adparebunt miseræ peccatorum. *Aug. lib. 5. de Civit. Dei.*

2. Eunt homines mirari alta montium, et ingentes fluctus maris et altitudines montium, et altissimos lapsus fluminum, et Oceani ambitum, et gyros syderum, et relinquunt seipsos, nec mirantur. *Aug. lid. 10. confession.*

3. Magis cogitare debetis quid nobis desit, quam quid vobis adsit. Quod habes, cave ne perdas. Quod nondum habes, supplica ut habeas. In quantis sis minor est considerandum, non in quantis sis major. Si enim cogitas quantum præcessisti alterum, time tumorem: si vero cogitas quantum tibi deest, ingemiscis, curvaris: si humilis eris, tutior ambulabis, non præcipitaveris, non laberis. *Aug. super Matth. serm. 59.*

4. Supra te Deus, infra te pecora. Agnosce eum qui supra te est ut agnoscant te, qui infra te sunt: Ideoque dum Daniel agnovisset supra se Deum, agnoverunt eum supra se leones. *Aug. super epist. Joan. c. 8.*

5. Laudabilior est animus, cui nota est infirmitas propria, quam qui ea non respecta, mœnia mundi, vias syderum, fundamenta terrarum, et fastigia cœlorum scrutatur. *Aug. in proæ. 9. de trinit.*

6. O homo si consideres, quid per os, quid per